4.

Q. D. B. V.

DE

PERQVAM HONORIFICO

PRAECEPTORIS

TITVLO

DEQVE CRVCIFERORVM ORDINIS IN PRVSSIA

PRAECEPTORIBVS

NONNVLLA DISSERENS

AD

GYMNASII ELBING.

ENCAENIA

D. 29. NOVEMBR. A. H. S. MDCCXLII.

MORE HORISQVE CONSVETIS

RITE CONCELEBRANDA

INCLYTVM REIPVBL. ELB.

MAGISTRATVM,

CAETEROSVE

CVIVSLIBET ORDINIS ET DIGNITATIS

MAECENATES

MVSARVMQVE FAVTORES

QVA DECET OBSERVANTIA COLENDISSIMOS

SVBMISSE, DEBITE ET PERAMANTER

INVITAT

GEORGIVS DANIEL SEYLER

ATHEN. RECT. P. P. ET BIBLIOTHECAR.

ELBINGAE LITTERIS PREVSSIANIS.

Temporum vices ævique mutabilitatem uti *rebus* aliam subinde faciem, ita *verbis* etiam & *titulis* significationem induisse, & historiarum monumenta testantur & quotidiana loquitur experientia. *a)*

Ac ut omissis illis, de his nonnulla in medium jam proferam, constat quidem inter omnes, *verba* non nisi *signa* esse, *quibus animi nostri sensa exprimimus*; neque verò etiam inficias eundum, tantum ea modò valere, quantum ipsis & tyrannus Usus & inveterata impertivit consvetudo, tritumque adeò exinde ortum esse diverbium: *Verba valent sicut nummi.*

Causas ansasque ἐκτροπῆς istius sive vocum sive titulorum investiganti mihi haud aliæ occurrere videntur, quam aut abusus eorum, aut singulares quidam casus, aut ipsa denique temporum morumque commutatio: id quod exemplis quibusdam in medium prolatis clarius ut opinor apparebit.

Et ex *latinis* quidem *Tyranni*, *Latronis*, *Hostis*, *Sophistæ*, *Parasiti* vocabula titulosque ipsa origine bonos atque honorificos fuisse, quis græcæ latinæque lingvæ vel leviter gnarus ignoret? *Tyrannum* certè antiquitus non nisi *dominum* vel *regem* à τυραννέω *regno*, significasse, vel ex illo patet *Euripidis*: σοφοὶ τύραννοι τῶν σοφῶν συνουσία, h. e. Sa-

a) Prolixius hoc argumentum tractarunt CHRIST. G. SCHWARTZ Dissert. de fatis vocum. JO. H. ACKER de Tit. Excellenz. (vid. Act. Scholast. P. V. p. 409. GE. VENSKY Ex. crit. de titulis quibusd. (Ibid. p. 427.) Conf. J. C. N. Vernünfftige Gedancken P. II. p. 39. s. it. Beyträge zur critischen Historie der deutschen Sprache passim.

Sapientes fiunt *reges* ſapientum conſvetudine. Cumprimis verò Principes ob *fortitudinem* resque præclare geſtas hoc titulo inſignitos fuiſſe, poſt Trogum *Nepos* docet in Milthiade, indeque Rex Latinus Æneam advenam eodem procul dubio reſpectu tyrannum ſalutavit:

Pars mihi pacis erit, dextram tetigiſſe *tyranni*. *b)*

Poſtea verò quàm ſæva atque impotenti dominatione ſua civium ſangvinem & libertatem hi domini ſupprimerent, iſtud honoris nomen ad illos modò translatum eſt, qui non jure æquisque legibus; ſed vi & animi libidine dominabantur.

Latronis pariter vocem bonæ olim ſignificationis fuiſſe, ipſum ejus indicat etymon: vel enim à λατρεύειν *inſervire*, vel à *mercede*, Græcis λάτρον dicta, vel quod à *latere Domini* eſſent, *ſervi* illi dicebantur, quos hodie *ſatellites*, Trabanten appellamus, teſte illo Plautino:

Rex Seleucus me opere oravit maximo,
ut ſibi LATRONES *cogerem & ſcriberem*. *c)*

Cùm verò hi ſatellites paullatim perfidè cum dominis agerent, tandemque etiam vitæ ipſorum inſidias ſtruerent, nomen illud ad omne *prædonum* & *inſidiatorum* genus tranſiit.

Neque *Hoſtis* vocabulum olim tam inimicum, uti nunc quidem eſt, fuiſſe VARRO docet: *Multa*, dicens, *verba aliud nunc oſtendunt, aliud olim ſignificabant*, ut *Hoſtis. Nam tum eô verbô dicebant* peregrinum, (a græco ὅςις) *nunc dicunt eum* perduellem. *d)* Quocûm FESTVS convenit, qui vocem ab *hoſtire*, i. e. *penſare*, æquare deducit, unde etiamnum Gallis *hôte*, *hôtellerie*; Italis *un hoſte* hoſpes ſimul & conviva & inimicus eſt, ſecundum tritum illud Italorum: *gli Hoſti ſono Hoſti*, i. e. hoſpites ſunt peregrinorum hoſtes, nummis ſcil. eorum inhiantes.

Et

---

b) VIRG. Æneid. L. VII. v. 266.

c) PLAVT. Mil. 1. 75.

d) L. IV. de L. L. in pr.

Et quis PARASITOS, odiosissimum jam hominum genus, in honore olim habitos fuisse crederet? Ita verò illi vocabantur, qui vel epulis sacris vel principum virorum oblectandi causa adhibiti fuere. *e)* Postea verò infamis vox haberi cœpit de iis, *qui cibi saltem causa aliis adulantur*, quorum nostra ætate insigne exemplum præbuit PETR. MONMAVR, Regius olim Prof. Parisiensis. *f)*

Jam ut *Germanorum* quoque nonnulla delibemus nomina, *g)* quis est qui nesciat, vocabula **Junge/ Bube/ Schalck/ Knecht/ Magd/ Kerl/ Fendt** &c. malæ ut plurimum aut vilis notæ esse, quæ olim tamen optimæ fuerunt significationis. Ita **Bube** ab Anglor. *Boy*, **Knabe:** **Magd** à voce *Mayd*, virgine: **Schalck** à **schalten** i. e. servire, (unde **Gotschalck** Dei servus) **Fendt** ab italico *fante*, **ein junger Mensch**/ originem traxisse, citati supra authores demonstrant. *h)* Voces autem **Knecht** & **Kerl** honoratioris olim notæ & originis fuisse, solidè evicit J. L. FRISCHIVS, *i)* illam quidem medio ævo idem quod *filius*, vel etiam *miles* significasse, unde etiamnum Anglis à *Knicht* idem quod *nobilis armiger* audit: hanc verò non quemcunque modò virum, **einen Mann**; sed robustum fortemque virum, **einen Kriegsfürsten**/ *k)* quin imò *principem*, s. *principis filium*, designasse asserens. Quis verò nostra ætate aliquem hôc vocabulô, nisi

 addito

e) Test. ATHENAEO Deipnos. L. VI. f. 246. Conf. SVET. in Aug. & LAMPRID. qui ipsum *Ulpianum* JCtum clariss. *Severi* Imp. parasitum fuisse asserit.

f) de quo vid. SALENGRE historia Montmaurii.

g) De his B. LVTHERVS olim libellum edidit sub tit. *Aliquot nomina propria Germanorum*, ad priscam etymologiam restituta, qui P. XIX. **der Beyträge zur crit. Historie der deutschen Sprache** insertus legitur. Conf. Eorund. P. VII. 446.

h) Add. **Beyträge** P. V. 30. f.

i) Dictionar. etymol. germanico-lat. p. 527. & 501.

k) SCAL. Exercitt. 266. Carolus prisca vox est, qua robusti fortesque viri designabantur.

addito honorabili epitheto, sine injuria appellaret? Quis aliquem facilè Schufft vocare auderet, quo tamen nomine veteres olim Saxoniæ nobiles insignitos fuisse Bilderbeck comprobat. *l)* Qualem verò titulum ex antiquo illo: *Hunnus fuit*, recentiores fecerint, verecundiæ ergò lubens reticeo.

Paria ferè cum nominibus *titulos* expertos fuisse fata, ex pluribus solo jam *Præceptoris* exemplo demonstratum ibo. Quàm verò illud olim honorificum fuerit, vel ex eo patet, quòd prisca ætate Principes & supremi Magistratus eo insigniti fuerint. *m)* Ita *Comitem palatii Cæsarei* s. regii *κατ' ἐξοχὴν Præceptorem* salutatum fuisse, WALAFRIDVS Strabo C. 31. de rebus eccles. autor est. *n)* Ac quemadmodum Ordinis S. *Johannis Hierosolymit.* & *Templariorum* post supremum eorum Magistrum principes *Præceptores* dicti fuêre, teste JAC. de VITRIACO, *o)* ita Ordini quoque *Cruciferorum* in Prussia suos constitisse *Præceptores*, historiarum loquuntur monumenta, de quibus jam nonnulla in medium proferre lubet.

Ac primo quidem observandum, hos Præceptores (germanicè Gebiethiger) *quartum* in ordine *locum* obtinuisse, ita quidem, ut *Episcopis* proximi sederent. *Originem* eorum a *Sigfrido* demùm *Feuchtwangen* perperam deducit GRVNOVIVS, *p)* cùm mentio eorum longe antè Magistri hujus tempora apud Scriptores fiat fide dignissimos: *q)* veroque simile sit, tum statim eos extitisse, ubi Ordini certæ quæ-

l) Tom. II. des Reichsstaats P. VI. C. 6. p. 305.

m) Vid. VINCENT. Bellovacens. L. 31. C. 93.

n) Citante Carolo du FRESNE Gloss. med. & inf. Latinit. Tom. III. p. 378.

o) in Historia Hierosolym. C. 65.

p) Recte monente HARTKNOCH. Dissert. XIX. de Rep. Veter. Prussor. §. 12.

q) P. DVSBVRG passim. Chronic. Ord. R. DVELLII Histor. Crucif. diplomat. L. I.

quædam provinciæ, quas postmodum *Commendas* (à gallico: *commander*, mandare, præcipere) quin etiam *Præceptorias*, Commenthureyen/ Comthureyen appellarunt, *r*) in Germania alibique obtigerunt. Horum Præceptorum s. Commendatorum alii *majores* erant, alii *minores*. Majores *quinque*: Commendator magnus, (der Groß Compthur) Mareschalcus, (Marschalck) Hospitalarius (der Ober-Spittler / cui sedes ordinaria *Elbingæ* erat,) Trapiarius (der Trapierer/) *s*) & denique Thesaurarius (der Treßler:) minores 28 numero fuêre, de quorum munere, dignitate & mutationibus præter *Hartknochium t*) alii pluribus egêre. Quanta horum *Præceptorum* fuerit autoritas, vel ex eo patet, quod 1) Supremus Ordinis Magister *absque eorum consensu* nec vices gerentem, aut Magistrum provincialem eligere, nec electum aliorsum delegare: imo 2) ne privatum quidem fratrem peregre-abiturum pro lubitu dimittere poterat. 3) Fas ipsis erat, neglectâ præviâ Magistri generalis ad Capitulum delatione electum rejicere, aliumque pro beneplacito eligere. Quin imo 4) ipsum etiam supremum Magistrum suâ privare dignitate, quod Ludov. Konigs, Henrici Reuss à Plauen, Mich. Sternberg, & Pauli Bellizeri exemplis MATT. WAISSELIVS *u*) aliique comprobarunt. Colligere quidem exinde videtur HARTKNOCHIVS l. c. §. 17. hos Commendatores eapropter præcipuè vel ab ipsis Magistris generalibus *Præceptores* & *Conpræceptores* vocatos fuisse; verùm aliam istius tituli originem, hancque ipsorum Præceptorum potestatem *accessoriam* fuisse, ex antedictis facile apparebit.

Quan-

---

r) vid. pluribus C. du CANGE in Gloss. T. I. p. 1107. s.

s) De vocis hujus etymo præter *Hartknoch.* l. c. videsis cel. FRISCHII Dict. etymol. germ. voce Trapierer.

t) Dissert. cit. §. 12. Conf. D. LENGNICH. Diss. de Thesaurario Pruss. Ampl. Dni Jo. Jac. *Brackenhausen* vom Spittler-Amt insert. Tomo IV. Erleut. Preussen/ p. 36.

u) Chron. fol. 141. & 145.

Quantum ab illo tempore tituli istius honor mutatus! cum jam vix illi, qui ultra crepidas aliquid judicare posse sibi imaginantur, ad capiendam *praeceptoris* spartam persvaderi queant, licetsi aliquando ipsos etiam *Academiarum Rectores* hoc titulo mactatos legimus. *x)* Mihi quidem illud mirabile semper visum fuit, quod eodem *ipso loco*, ubi olim *Praeceptores* isti *Prussiae* impotenti vi atque dominatione sua civium bonis inhiarunt, nunc *Praeceptores* videamus, juventutem ad verum DEI cultum bonasque litteras & artes strenuè manuducentes, nimirum in *hoc Athenaeo*, cujus ex antiquae Magni olim *Hospitalarii* sedis ruderibus extructi ENCAENIA iterum Clementissimo Numine sic annuente, piis votis precibusque celebranda meditamur.

Quam quidem Solemnitatem, ut MAGNIFICVS & AMPLISS. VRBIS MAGISTRATVS, PATRIAE PATRES, submissae mentis cultu aetatem prosequendi, nec non *Excellentissimi, plurimum Reverendi, Clarissimi, Prae-Nobiles, Spectabiles O. O. Fautores & Amici Honoratissimi*, praesentiâ suâ honorifica condecorare, DEOque simul debitas pro insigni isthoc beneficio gratias agere dignentur, est quod enixè etiam atque etiam rogamus, oramus, contendimus. P. P. ELBINGAE Postridie Cal. Decembr. A. O. R. CIↃIↃCCXLII.

---

x) Celeber. J. *Sturmii* exemplo, in Dedicatione Tomi I. *Institutionum litterariar.* Thorunii 1586. 4. edit.

REI-